

rerum occasionem hortentur, eorum defectus corrigant et principum ecclesiasticorum et laicorum et aliorum benefactorum tam vivorum quam defunctorum, praesertim fundatorum animas Deo commendent. Et quia praesentes praelati humiliter a nobis petierunt, ut praemissa omnia aliis praelatis absentibus insinuare et significare gratiose dignemur, ideo ut ea ad dictorum praelatorum et quorumcunque aliorum, quorum interest, vel interesse poterit notitiam veniant, ab eis ad effectum debitum statim adducantur, id quod illis serio mandamus, praesentes literas confici et sigillo nostri officii, quo in talibus utimus, mandavimus communiri.

Actum Monachii Anno Domini 1583 die vero 24 Maji Pontificatus praelibati Sanctissimi Dni N. D. Gregorii Papae XIII. Anno duodecimo.

De Sacramentarii Gelasiani substantiali authenticitate.

Disquisitio Liturgica, auctore † R. P. Domno Beda Plaine, O. S. B.¹⁾

Praeambula.

Nihil forsitan inter omnia documenta liturgica, quae nobis transmisit antiquitas ecclesiastica, venerabilius seu sacratius inveniri potest Sacramentario Gelasiano: quippe quod ab ejus auctore seu collectore nuncupatum: „Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae“ nobis revera exhibet, quidquid reputatur magis essenziale in forma et magis antiquum in ritibus uniuscujusque septem Sacramentorum non inclusa tamen Extrema Unctione.²⁾ Immo in eo reperiuntur saltem initialiter et compendiose rubricae et formulae, quae hodie passim habentur tum in Missali, tum in Rituali seu Pontificali Romano. Aliunde iste codex Gelasianus, licet paulo recentior Sacramentario Leoniano dicto,³⁾ majori semper gavisus est auctoritate et gaudere debet. Nam a Pontifice Romano editus et promulgatus inservit per plura secula cultui publico in toto nostro occidente sive separatim et solus ante dies S. Gregorii Magni, sive postea conjunctim cum Sacramentario, quod ipse Gregorius edidit, dum e contra Sacramen-

¹⁾ Haec tractatio jam gallica edita est (Science Catholique, Augusto et Septembri anni 1895); sed hodie ob rei praestantiam et in piam memoriam defuncti auctoris in linguam latinam vertitur, additis aliquot novis dilucidationibus.

Redactio.

²⁾ De ea agitur solummodo indirecte in Coena Domini, occasione benedictionis olei infirmorum.

³⁾ Istud nihil revera habet commune cum S. Leone Papa, nisi quod ei fuit attributum a primo ejus editore Josepho Bianchinio (Romae 1735). Adest in Patrologia Latina, t. LV p. 1—160. Sed nova editio data est Dublinii in anno 1896 a claro viro J. Feltré.

tarium Leonianum a persona privata collectum nullo tempore adhibitum fuit in celebratione missarum.

Grave tamen detrimentum affertur venerationi, qua dignus est dictus Codex Gelasianus, ex eo quod ejus authenticitas in dubium revocata est tum a Basnagio, et aliis haereticis,¹⁾ tum recentius a quodam presbytero catholico Ludovico Duchesne.²⁾ Argumenta vero quae afferuntur ex utraque parte, parum valida sunt et rejici debent quod solide, ut spero, in paginis sequentibus demonstrabitur. Quocirca in apertum campum prosilio, et inchoans aliquid dicam de Gelasio ipso, et de ejus Sacramentario.

§ 1. Gelasius Papa, et ejus Sacramentarium juxta auctores antiquos et codices ad nos transmissos.

Pauca scimus de Gelasio Primo, sed indubie magna vivus gaudebat fama scientiae et virtutis, et magnam post se reliquit famam sanctitatis testibus Gennadio ejus coevo, Fulgentio, Ruspensi et Dionysio Exiguo ejus supparibus. Afer erat natione³⁾, sed ignoratur quo anno et qua de causa Romam venerit. Indubie tamen illuc versabatur in ultimis annis seculi quinti, siquidem mortuo die 25 februarii anni 492 Felice tertio electus est Gelasius in Pontificem Romanum. Petri cymbam vigilantissime rexit annis quatuor et octo mensibus ab aprili anni 492 ad novembrem anni 496.

De eo dicitur inter alia a Gennadio in libro de viris illustribus „Gelasius fecit tractatus diversos scripturarum sacrarum et sacramentorum“.⁴⁾ Quae verba intelligenda sunt de libro Sacramentorum, in quo revera inveniuntur tum formae et ritus Sacramentorum, tum allocutiones seu exhortationes, quae fere nihil aliud sunt quam commentatio alicujus textus sacri, id est, tractatus diversi scripturarum sacrarum.

Auctor Libri Pontificalis eodem fere modo loquitur ac Gennadius dicens: „Gelasius fecit Sacramentorum praefationes et orationes cauto sermone.“⁵⁾

Quae ultima verba cauto sermone alludunt curae seu sollicitudini, quam adhibuit Gelasius ut Pelagiosa pestis prorsus abesset e textibus, qui inserebantur in ejus Codice Sacramentorum.

Caeterum si duplex testimonium Gennadii et auctoris Libri Pontificalis non sat clarum videtur, ut Gelasio tribuatur dictus Liber Sacramentorum, res aliunde tam solide roboratur, ut in dubium revocari nequeat.

1) Antiquité d'une Liturgie publiée per Tommasi. Amsterdam 1725.

2) Origines du Culte Chrétien. Paris 1889.

3) Liber Pontificalis, editio Duchesne, t. I, p. 255.

4) De Viris illustribus, XCIV.

5) Liber Pontificalis loco citato.

Audiatur in primo loco Walafridus Strabo, qui mediante seculo nono tam accurate scripsit de Ecclesiasticis Rebus, et de earum antiquitate. Loquens enim de ordine Missae et de ejus statu in primis annis, ut puto, seculi quinti, in quibus paululum relexata antiqua lege secreti, sacramentorum forma et alia similia non jam sub silentio et in tenebris latebant,¹⁾ animadvertit quod: „crescente cultu religionis divinae, crescebat etiam paulatim orationum et officiorum Ecclesiae compositio, multis et ex summa scientia et ex mediocri, et ex minima addentibus quae eis congrua rebus explicandis videbantur.“²⁾ Tum addit: „Ideoque credimus in Conciliis Carthaginensi et Milevitano fuisse statutum, ut orationes et preces a quibuslibet compositae, nisi probatae fuissent in concilio, non dicerentur.“³⁾ Tandem concludit: „Sed et Gelasius Papa tam a se quam ab aliis compositas preces dicitur ordinasse.“⁴⁾ Porro de facto quoddam decretum latum fuit in concilio Milevitano anni 416, cujus tenor erat sequens: „Placuit etiam hoc ut Preces, quae in concilio probatae fuerint, sive Praefationes, sive commendationes, sive manuum Impositiones ab omnibus celebrentur. Nec aliae omnino dicantur in Ecclesia, nisi quae a prudentioribus tractatae vel comprobatae in synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem vel per ignorantiam vel per minus studium sit compositum.“⁵⁾ Quod decretum renovatum fuit in quodam alio Concilio Africano annorum 420—436⁶⁾ et accedente etiam Romani Pontificis approbatione vim habuit legis saltem per aliquot annos in toto nostro Occidente. Unde Gelasius, et ipse Africanus, cupiebat forsitan providere executioni hujus decreti evulgando pro prima vice Librum quandam ab antiquo usitatum Sacramentorum Romanae Ecclesiae et illum publici juris faciendo: nam antea in obscuro liber iste tenebatur et cum magna cautela, teste Innocentio Primo scribente ad Episcopum Eugubinum: „Verba dicere non possum⁷⁾ ne magis prodere videar quam respondere ad consultationem.... Reliqua vero, quae scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere.“⁸⁾ Porro dictus Codex Gelasianus nihil fere revera continet nisi quod indicatur in Canone Milevitano, scilicet, Preces

1) In isto tempore debebant esse ubique uniformia saltem quoad substantiam rerum.

2) Strabo. De ecclesiasticis rebus XXII. Patrologia latina t. CXIV p. 946.

3) Ibidem.

4) Ibidem.

5) Canon XII concilii Milevitani anni 416. — Concilia, editio Mansi. Venetiis 1728, t. 3, p. 383.

6) Canon LXX, ibidem p. 521.

7) Loquitur solum de forma sacramenti Confirmationis sed ratio allata valet etiam pro Eucharistica et aliis Sacramentis.

8) Epistola XXV n. 6 et 22. Patrologia Latina t. XX, p. 555 et 561.

et Collectas Missarum, Praefationes item Missarum Commendationes seu exhortationes in ordinationibus clericorum, Consecrationibus Virginum et aliis circumstantiis ejusdem generis, et tandem manuum impositiones id est orationes unitas cum manuum impositione in Baptismo, Confirmatione, Missa etc. Hinc facile intelligitur, cur cum tanto applausu acceptus fuerit liber Sacramentorum a Gelasio editus et ordinatus; quippe qui ubique in usu esse poterat quin alia approbatio ejusdem synodi fuisset necessaria. Haec sufficiant de Strabone. Nunc accedet secundus testis majori adhuc fide dignus, biographus S. Gregorii Magni, scilicet Joannes Diaconus, cui debetur secunda et amplior vita S. Gregorii Primi. Ille vivebat Romae in prima medietate seculi noni, et in manu habebat duplex Sacramentarium Gelasianum et Gregorianum. Unde iste de eis competenter loqui poterat, et notum nobis facere in quibus rebus sese uniformiter habebant, in quibus diversimode. Quod et fecit accurate licet paucis verbis: „Sed et Gelasianum codicem, ait, de Missarum solemnibus multa (Gregorius) subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens in unius libelli volumine coartavit.“¹⁾ Ex his verbis eruitur primo, quod liber Romanus de Missarum solemnibus nullam novam acceperit recensionem a diebus Gelasii usque ad Gregorium, sicut postea nulla alia auctus est usque ad S. Pium V. In secundo loco animadvertendum est, quod codicem Gelasianum coartavit Gregorius in unius libelli volumine. De facto Codex Gelasianus, quamvis nuncupatur unico nomine Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae, sectus est nihilominus in tribus libris, qui plus minusve exacte respondent Proprio Temporis, Festis Sanctorum, et Appendicibus Missalium hodiernorum.

In tertio loco, multa substraxit Gregorius. Nihil verius hac assertione. In codice enim Gelasiano adsunt Praefationes propriae pro unaquaque Missa, adsunt fere semper duae Collectae cum secretis et Postcommunionibus analogis ad mutandum. Adsunt etiam frequenter Benedictiones super Populum in fine Missarum. Quae abundantia formularum provenit, ut jam dixi cum Strabone ex eo, quod primis annis post relaxatam legem secreti major licentia data fuit presbyteris aliquid augendi et componendi textus novos liturgicos, sed brevi haec licentia Romae coartata fuit fere omnibus ad aliquid uniforme, ut fit hodie reductis ne ansa praerberetur introducendi errores et falsitates in sacra Liturgia.

Quidquid sit aliunde de hac re, certum est saltem et hoc sufficit meo proposito, a Gregorio ipso sublatas fuisse duplices

¹⁾ Vita S. Gregorii, liber secundus, 17.

collectas et Benedictiones super populum extra Quadragesimam.¹⁾

In quarto loco Gregorius pauca convertit, et aliqua superaddidit. In qua re nihil stupendum videtur: nam scripta cujuslibet hominis sunt semper imperfecta, emendari et perfici possunt.

Hinc ex testimoniis allatis clare patet Gelasium revera fuisse auctorem seu collectorem cujusdam Sacramentarii prorsus similis illi, quod nobis transmissum est. Sed certitudo istius rei non minus solide elucet tum ex veteribus Inventariis codicum, tum praesertim ex ipsis antiquis codicibus, qui nobis asservati sunt, siquidem in dictis Inventariis octavi seu noni seculorum enumerantur explicite missales Gelasiani sedulo distincti a Gregorianis,²⁾ dum varii codices, id est, Vaticanus septimi seculi, Rhenaugiensis et San Gallensis octavi vel noni seculorum ipsum Gelasii sacramentarium nobis exhibent.³⁾

Hac re sic elucidata, cadit omnino assertio Basnagii et ejus sequacium, juxta quos Sacramentarium Gelasio attributum non erat seculo decimo antiquius. Nunc aggrediar D. Duchesne, qui non denegat quidem Gelasio scriptionem alicujus Sacramentarii, sed tamen contendit illud tam multis interpolationibus deturpatum fuisse ut jam non possit haberi tanquam authenticum.⁴⁾ Quapropter nunc inquiram de numero et caractere interpolationum, quibus aspersum est dictum Sacramentarium in variis ejus codicibus et praesertim in codice Vaticano.

§ 2. De codice Vaticano Gelasiani Sacramentarii et ejus authenticitate.

Non diffiteor Sacramentarium Gelasianum plurimis interpolationibus oneratum esse, ac etiam ita deturpatum in omnibus codicibus, excepto solo Vaticano, ut jam non authenticum haberi debeat. Codex vero Vaticanus, qui est seculi octavi ineuntis et caeteris antiquior, non eisdem interpolationibus deonestatus est,⁵⁾ sed paucae sunt in eo et fere nullius momenti istae interpolationes. Quod non animadvertentes DD. Duchesne et Ebner codicem Vati-

¹⁾ Id assertit expresse auctor Micrologi, c. 49, et desunt duplices Collectae in omnibus codicibus Gregorianis.

²⁾ Sic apud Cantulenses monachos aderant in usu 831 XIX Codices Gelasiani et tres tantum Gregoriani. — Patrologia latina, t. CLXXIV, p. 1268. — Alia inventaria inveniuntur apud Becker: Catalogi Bibliothecarum. Bonnae 1865.

³⁾ Isti codices accurate describuntur a D. Wilson, editore Sacramentarii Gelasiani, p. XVII, XX, XXXII, XLIX etc.

⁴⁾ Origines du Culte chrétien. — Editio citata p. 120, n. 39 et passim.

⁵⁾ Codex Vaticanus Reginae 316. Accurate descriptus est a Leopoldo Delisle in scripto, cujus titulus est: Études sur d'anciens Sacramentaires. Paris 1886, n. 2, p. 66—68.

canum eadem sententia ac alios perculerunt. ¹⁾ Ego e contra illum habeo tanquam substantialiter authenticum.

Isto solo codice Vaticano usus est Cardinalis Thomasius pro prima editione Sacramentarii Gelasiani, quae lucem vidit Romae in anno 1680, et pluries iterum postea typis recusa est. Eodem collato cum pluribus aliis usus est etiam recentissime clarus vir H. Wilson, professor in Collegio S. Magdalenae Oxoniensis, cui debetur editio altera ejusdem Sacramentarii juxta veras scientiae criticae regulas accomodata. ²⁾ Mihi vero incumbit cura ostendendi dictum Codicem Vaticanum maxime diversum esse ab aliis codicibus ejusdem Sacramentarii, et non talibus interpolationibus corruptum esse, ut attingatur substantia rituum seu textuum. ³⁾ Qua re elucidata negari non poterit idem sacramentarium remanere substantialiter authenticum et ad nos ita transmissum. En tota series interpolationum dicti codicis, quae mihi sunt notae.

1. In Canone Missae quotidiano, qui forsitan tunc temporis in Galliis erat tantum pro Dominicis diebus, ⁴⁾ novem nomina addita sunt in Communicantes nominibus legitimis Apostolorum et martyrum, scilicet nomina Sanctorum Dionysii, Rustici, Eleutherii, Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi et Benedicti. ⁵⁾

2. In eodem Canone oratio: Hanc igitur oblationem adaugetur quidem additione, quae est S. Gregorii, scilicet: Diesque nostros in tua pace disponas. ⁶⁾ Quae additio provenit meo judicio ex eo quod iste Canon erat usus frequentis. Nam in multis aliis casibus mere accidentalibus eadem oratio: Hanc igitur oblationem, quam idem Gregorius omnino immutabilem fecit, variatur pro circumstantiis, (sicut res fiebat ante Gregorium) quin appareat in ea additio Gregoriana. ⁷⁾ Unde tunc videtur esse anterior ipsi Gregorio, et vera scriptio Gelasii.

3. Embolismus Orationis Dominicae idem est ac hodiernus nec ibi deest nomen S. Andreae, ⁸⁾ licet ab eodem Gregorio fuerit additum. Ratio hujus interpolationis eadem est ac pro praecedentibus.

¹⁾ Duchesne: Origines du Culte chrétien. Paris, 1889, p. 119–237. — Ebner: Quellen und Forschungen zur Geschichte des Missale Romanum. Herder, Freiburg 1897.

²⁾ Gelasian Sacramentary. Oxoniae 1894, in 4°.

³⁾ Diversae etiam res poni videntur extra ordinem regularem, nescio quae de causa, v. 9, consecratio manuum novorum presbyterorum, quae comitatur ordinationem subdiaconorum l. 1, 96. Edition Wilson p. 148 etc. Sed haec non attingunt substantiam rerum: Unde de eis non agem.

⁴⁾ Gelasian Sacramentary. Edition Wilson, p. 224. Liber tertius, Orationes et preces (continens) cum Canone pro Dominicis diebus.

⁵⁾ Ibidem p. 235.

⁶⁾ Ibidem.

⁷⁾ Ibidem p. 29, 149, 150, 154, 155, 159, 160 etc. etc.

⁸⁾ Ibidem p. 236.

4. In titulo de Ordinationibus inseritur Constitutum S. Gregorii Papae,¹⁾ quod mutuatum ex quadam epistola ejusdem tractante de dotibus et qualitatibus in ordinandis requisitis ac directa episcopis Arelatensi, Augustodunensi, Lugdunensi et Viennensi,²⁾ quae habebatur in Gallia tanquam pars legitima rituum Ordinationum, ut patet ex Martenio.³⁾ Hinc facile intelligitur cur San-Dionysianus amanuensis istud constitutum inseruerit in codice Gelasiano, quam exscripsit pro usu sui monasterii.

5. Legitur ista inter alias collectas feriae sextae in Parasceve: „Oremus et pro Christianissimo Imperatore vel Rege nostro“, et paulo inferius.

Respice, Domine, propitius, ad Romanum, sive ad Francorum benignus imperium.⁴⁾

Quae collecta, in quantum spectat ad Romanum imperium, et ad Romanum imperatorem, jam recitabatur in diebus Gelasii, siquidem alia analoge adest in Leoniano Sacramentario.⁵⁾ In quantum vero spectat ad Francorum imperium et eorum Regem nihil aliud est quam interpolatio, siquidem vivente Gelasio rex Francorum nec Romae notus erat, nec par Imperatori Romanorum habebatur.

6. Sexta interpolatio apparet in actione nuptiali, seu in Missa Matrimonii. Etenim in ea adstat haec rubrica post orationem: Hanc igitur oblationem.

„Percomplet Canonem plenarium, et dicis orationem dominicam, et sic eos (conjuges) benedicis his verbis.“⁶⁾ Porro ista rubrica nec gelasiana nec romana, nec etiam ambrosiana seu gothica dici potest, siquidem Canon Missae quotidianus est et semper integraliter dicitur tum apud Romanos tum apud Mediolanenses, dum apud Hispanos totaliter excidit vigente Liturgia gothica. Proprie vero spectat ad Liturgiam gallicanam exeuntis septimi seculi seu octavi ineuntis. Quo tempore Canon Missae Romanus, qui primum quotidianus in Galliis sicut Romae et in toto nostro Occidente, deinde solum dominicalis, ut indicavi superius, demum pro omnibus fere missis rejectus fuit ineunte forsitan seculo octavo servata tamen formula: „Qui pridie quam pateretur.“⁷⁾

Non inveniuntur, me conscio aliae interpolationes in dicto

¹⁾ Ibidem p. 26.

²⁾ Regestum IX, 106.

³⁾ De Antiquis Ecclesiae ritibus 118.

⁴⁾ Gelasian Sacramentary p. 76.

⁵⁾ Patrologia latina t. LV, p. 133.

⁶⁾ Gelasian Sacramentary p. 266.

⁷⁾ Hanc ultimam assertionem propugnat Mabillon. De Liturgia Gallicana I, 17 et 18. De aliis vero ego ipse disserui in tractatione de Canone Missae et in aliis circumstantiis. Cf. Studien O. S. B. t. XV, p. 554—561.

codice Vaticano. Porro quis non videat eas, quas commemoratus suum tam parvi esse momenti, ut minime attingant substantiam rerum? Quis non videat eas ab amanuensi San-Dionysiano admissas fuisse propter usum frequentem Canonis Missae et aliquot formularum analogarum, quin tamen idem ullum praeberit assensum cuidam mixtioni et confusione textuum Gelasianorum et Gregorianorum, seu etiam Gallicanorum ut audacter assertum est.¹⁾ Hanc mixtionem, libenter fateor, fecerunt alii exscriptores Sacramentarii Gelasiani, de quibus supra post D. Wilson.²⁾ Solus aliter agit amanuensis San-Dionysianus. Iste aliis multo anterior codicem Gelasianum pure et sine ulla mixtione extranea descripsit. De hac re, postquam sedulo contuli textum et rubricas Sacramentarium Gelasiani, Gregoriani et Gallicanorum multum mihi adjuvamentum praestantibus Praefatione et notis docti viri Wilson, loquor cum omni fiducia et sine ulla haesitatione. Sed ut mea argumenta clarius et solidius exponantur, ea reducam ad aliquas sectiones, et objectiones partis adversae postea disolventur.

Primo vero loco agam de Proprio Temporis.

§ 3. De Proprio Temporis in Codice Vaticano Gelasiani Sacramentarii.

Annus ecclesiasticus incipit a Vigilia Natalis Domini in omnibus codicibus antiquis Sacramentarium Gelasiani et Gregoriani, sed nihilominus taliter ab aliis codicibus discedit Codex Vaticanus relate ad Proprium Temporis ut clare pateat textum, quem nobis exhibet, antiquiorem esse diebus S. Gregorii. Brevitatis gratia de tribus tantum hujus varietatis capitibus agam in praesenti paragrapho.

In primo loco de stationibus romanis.

Alii amanuenses, praeter unicum San-Dionysianum, stationes Romanas singillatim indicant eodem tenore ac exhibentur in puris codicibus Gregorianis.³⁾ Equidem non me latet usum stationum Romae esse antiquiorem sexto seculo, sed ante Gregorium istae stationes non erant affixae praecise et invariabiliter talibus basilicis vel Ecclesiis. Ideoque non describebantur in Sacramentariis. Haec vero determinatio ab ipso Gregorio facta est, testante ejus biographo.⁴⁾ Unde amanuenses, qui mixtim exscripserunt in octavo et nono seculis textus sive Gelasianos sive Gregorianos, nunquam omiserunt simul indicem texere dictarum stationum. Aliam vero tenuit agendi rationem amanuensis San-

¹⁾ Duchesne: Origines du Culte chrétien p. 120—127 et alibi.

²⁾ Gelasian Sacramentary, editio citata p. 317 et seq.

³⁾ Gelasian Sacramentary, editio Wilson p. 317 et seq.

⁴⁾ Ordinavit (Gregorius) stationes per Basilicas et Martyrum coemeteria. — Vita S. Gregorii 13.

Dionysianus, quia fuit fidelis exscriptor. Verumtamen si aliquot vicibus loquitur de dictis stationibus, scilicet in Missa de Ordinationibus, hoc fit quia jam ista statio ad S. Petrum erat fixe determinata¹⁾ ante dies S. Gregorii, ut eruitur ex sermonibus S. Leonis Papae. Nunc ad secundum caput varietatis accedo.

2. In Codice Vaticano nomina festorum seu dominicarum totius anni frequenter sunt distincta ab iis, quae dantur in aliis codicibus et hodie sunt in usu; sic: 1^o Prima et secunda Missa Natalis Domini nuncupantur: Vigilia Domini de Nocte, et Vigilia Domini mane prima.²⁾

2^o Septimana Paschae vocatur tota Alba,³⁾ quia in ea neophyti indumentis albis vestiebantur: quae nuncupatio non totaliter disparuit, siquidem in hodierno Missali Romano legitur adhuc Sabbato in Albis, Dominica in albis: sed nihilominus non est inscripta sive in codicibus Gregorianis, sive etiam in aliis codicibus Sacramentarii Gelasiani.

3^o Dominicae temporis Paschalis vocantur Dominicae post Clausum Paschae⁴⁾ in aliis vero codicibus Dominicae post octavam Paschae.⁵⁾

4^o Dominicae post Pentecosten vocantur simpliciter Domini dies sine additione distinctiva.⁶⁾

Haec sufficiant de ista varietate.

3. In tertio loco Proprium Temporis quale exstat in solo Codice Vaticano Gelasiani Sacramentarii mihi apparet quasi quaedam inchoatio non vacans multis lacunis et pluribus defectibus, dum in aliis codicibus idem est ac in Gregoriano Sacramentario et multo minus imperfectum.⁷⁾ Sic verbi gratia deficient Dominicae post Epiphaniam et transitur sine intervallo de Epiphania ad Septuagesimam.⁸⁾ Numerantur e contra septem Dominicae inter festa Paschae et Ascensionis.⁹⁾ Dominicae vero post Pentecosten non collocantur tanquam sequentia hujus festi, sed rejiciuntur initio libri tertii veluti quidam appendix¹⁰⁾ et earum numerus non excedit sexdecim dum in aliis codicibus sicut in Gregoriano Sacramentario usque ad XXVII pervenit.¹¹⁾

1) Gelasian Sacramentary, p. 15, 22 etc.

2) Ibidem p. 2 et 3.

3) Ibid. p. 31.

4) Ibidem p. 103, 104, 105 et 106.

5) Ibidem p. 339, 340 et 341.

6) Gelasian Sacramentary, p. 2-4 et seq.

7) Ibidem p. 321 et seq.

8) Ibidem p. 12.

9) Ibidem p. 96—106.

10) Ibidem p. 224—233.

11) Ibidem p. 361.

Insuper Dominicae de Adventu Domini quinque sunt numero, et disponuntur extra ordinem regularem in fine libri secundi, id est, post festa Sanctorum.¹⁾ Alii defectus ejusdem generis possent indicari, sed supersedeo, nam isti abunde sufficiunt ad ostendendum ex una parte, qualiter Sacramentarium Gelasianum nihil fuerit relate ad Proprium Temporis quam scriptio inchoata, imperfectionis plena ad ostendendum ex altera parte quod solus amanuensis San-Dionysianus fideliter exscripsit codicem Gelasianum cum ejus lacunis et defectibus, aliis exscriptoribus agendi rationem omnino diversam tenentibus. Sed antequam ulterius procedatur mihi obvia venit discutienda quaedam objectio quae refertur ad feriam quartam Cinerum et ad tres dies sequentes

§ 4. Utrum jam ante S. Gregorium instituti fuerant dies complementares Quadragesimae?

Codex Vaticanus Sacramentarii Gelasiani nobis offert feriam quartam in Capite Quadragesimae et tres sequentes tanquam dies jejunii jam institutos.²⁾ Porro juxta D. Duchesne et multos alios auctores trium ultimarum seculorum; isti quatuor dies, qui primitus, ut notum est, eximebantur a jejunio quadragesimali non additi ei fuerunt nisi tantum post S. Gregorium et forsitan solummodo corrente octavo seculo.³⁾ Quae assertio si vera esset, mea argumenta prorsus sub hoc respectu claudicarent. Quocirca rem sedulo examini subjiciam ut detegatur veritas.

Et primo mihi opponuntur tanquam testimonium quasi irrefragabile quaedam verba S. Gregorii, quorum tenor sequitur:

„In his diebus Quadragesimae, ait Doctor, ipsa abstinentia⁴⁾ per quadraginta dierum numerum custoditur, quia Moyses ita jejunavit, item Elias et Salvator noster. Quamvis de hoc Quadragesimae tempore est adhuc aliud, quod possit intelligi. A praesenti enim die⁵⁾ usque ad Paschalis solemnitatis gaudia, sex hebdomades veniunt, quarum dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus, dum sex dies dominici ab abstinentia subtrahuntur, non plus in abstinentia quam triginta et sex dies remanent... et (sic) quasi anni nostri decimas Deo damus.“⁶⁾

En textus completus et non decurtatus ut citatur ab aliis auctoribus, qui incipiunt a verbis: A praesenti enim die ut taceant de abstinentia per quadraginta dierum numerum

¹⁾ Ibidem p. 214—220.

²⁾ Gelasian Sacramentary p. 15—17.

³⁾ Origines du Culte chrétien p. 234 et alibi.

⁴⁾ Notandum est, quod sanctus in eodem sensu usurpat verba abstinentia et jejunium.

⁵⁾ Hoc dicebatur prima Dominica Quadragesimae, unde remanebant solummodo 36 dies jejunii.

⁶⁾ Homilia XVI in Evangelia 5. — Patrologia latina t. LXXVI, p. 1137.

eustodita, et solummodo memorentur triginta sex dies abstinentiae. Sed revera utrumque asserit rotunde S. Gregorius. Numquid sibi contrarius est? Numquid loquens oratorio modo, computat indifferenter sive quadraginta dies jejunii, sive tantum triginta sex? Minime, sed proponit quandam distinctionem, quae multos, proh dolor! effugit.

Evolvo mentem meam.

Secundum Gregorium abstinentia quadragesimalis custodiebatur ex una parte per quadraginta dierum numerum, ut aequarentur ad plenum jejunia Moysis, Eliae et ipsius Christi. Sed nihilominus ex altera parte eadem abstinentia non protraheretur nisi per triginta sex dies, quia prima dominica Quadragesimae erat, ut hodie, initium liturgicum istius temporis. Unde orator dicebat: „a praesenti die usque ad Paschalis solemnitatis gaudia, non plus in abstinentia quam triginta et sex dies remanent“ ut exinde moralem proponet sententiam. Ergo distinctio, de qua agitur, vere ipsius Gregorii est. Quod mecum testatur auctor Micrologi dicens rotunde:

„Sciendum est non solum modernos sed et antiquos a Capite jejunii incoepisse Quadragesimam cum et S. Gregorius ibi Quadragesimalia officia videatur initiasse. Sic enim in Gregorianis Sacramentariis seu Gradualibus libris evidentissime declaratur. Subsequens tamen Dominica proprie initium Quadragesimae dicitur: unde et XLII dies usque ad Pascha computantur, quibus cum sex Dominicas subtrahimus, nonnisi XXXVI in abstinentia observamus. Ergo a Capite Jejunii incipimus si cum Domino jejunium XL dierum complere volumus.“¹⁾

Eandem sententiam profitebatur in nono seculo Aeneas, episcopus Parisiensis usurpans et ipse sibi assumens verba, et duplicem sententiam Pontificis: „Beatus Papa Gregorius, aiebat, quadragesimale computans tempus a capite sex hebdomadarum illud dinumerare incipit dicens his verbis: „a praesenti die usque ad Paschalis, et reliqua ut superius“, per triginta sex dies affligimur et quasi anni nostri decimas Deo damus.“²⁾

Et paulo inferius: „Triginta autem et sex diebus in abstinentia computatis adjunctis et quatuor, qui a Capite jejunii incipiunt, egregia compaginamur et unimur jejunio Salvatoris nostri.“³⁾ Quid clarius et explicitius desiderari potest? Quis deinceps audebit asserere dies complementares jejunii Quadragesimalis non jam exstitisse tempore S. Gregorii? Hinc allata objectio partis adversae claudicat et omni valore caret. Verumtamen ut melius ostendatur dictum complementum quadragesimale antiquius

¹⁾ Micrologus XLIX. Patrologia latina t. CLI, p. 1013.

²⁾ Adversus Graecos 10. — Patrologia latina t. CXXI, p. 741.

³⁾ Ibidem p. 742.

esse ipso Gelasio saltem Romae et in Italia, testimonia afferantur mutuata ex sermonibus Sanctorum Maximi Taurinensis et Petri Chrysologi, quorum auctoritas sat nota est.

„Nonnullorum est consuetudo“ ait primus qui scribebat quadraginta annis et amplius ante Pontificatum Gelasii, „nonnullorum est consuetudo, inquit, advenientes Quadragesimae dies devotionis jejuniis praevenire.“¹⁾ Haec vero assertio invenitur in quodam sermone, qui paulo ante advenientes dies quadragimesimae, prolatus est, et probabiliter in feria quarta, in capite jejunii, siquidem iste sermo habet pro objecto commentationem evangelii istius feriae: „Nolite fieri sicut hypocritae tristes. Minime alludit profecto orator impositioni Cinerum sicut nec ipse Gelasius. Sed nihil, inde concludi potest, nam jejunium feriae quartae in capite Quadragesimae et impositio Cinerum sunt duae res diversae, et ista ultima est institutionis recentioris.“²⁾ S. Petrus Chrysologus, Episcopus Ravennae, coevus S. Maximi, tractans de eodem evangelio ac episcopus Taurinensis, ita alloquebatur auditores suos, dicens:

„Ingressi iter abstinentiae, jejunii pelagus, Quadragesimae viam, navim corporis nostri solvamus a littore mundano . . . quousque portum intramus.“³⁾ Et alibi explicitius dicit: „Merito nos quadraginta diebus per jejunium currimus ut perveniamus ad fontem baptismatis et salutis.“⁴⁾ Porro orator in hac occasione totus ad loquendum de numero XL mystico ac sacrato affert successive exempla diluvii, Moysis, Eliae, Ezechielis ac Christi ipsius. Unde verba ejus in sensu stricte sumenda sunt, ac proinde vivente Petro Chrysologo, quadraginta jam dies jejunii computabantur ante Pascha, et non tantum triginta sex, ut falso assertum est.

Quinimmo ipsa locutio, feria quarta, in capite Quadragesimae, quam adhibet Gelasius,⁵⁾ jam vulgata erat in ejus diebus, teste s. Benedicto, juxta quem verba: Caput quadragesimae, indicant non diem dominicum, in quo labor manuum relaxabatur, sed e contrario diem, in quo augebatur aliquid ad solitum pensum servitutis monasticae,⁶⁾ scilicet feriam quartam Cinerum.

¹⁾ S. Maximi, homilia XXXVI initio. — Patrologia latina t. LVII, p. 301 et 302.

²⁾ Jam imponebantur cineres, vivente Isidoro (De ecclesiasticis officiis 2, 17) non omnibus sed solis poenitentibus. Iste vero ritus, desinente publica poenitentia, asservatus est ad omnes extensus exeunte undecimo seculo.

³⁾ Chrysologi sermo VIII, initio. — Patrologia latina t. LII, p. 208.

⁴⁾ Idem, Sermo CLXVI, p. 306.

⁵⁾ Gelasian Sacramentary, editio citata p. 15.

⁶⁾ Regula S. Benedicti XLVIII et XLIX.

Aliunde duplex ritus admissionis peccatorum ad agendam poenitentiam publicam et eorum reconciliationis sunt connexi et eodem tempore institui debuerunt. Porro reconciliatio poenitentium jam fiebat feria quinta in Coena Domini sexaginta annis ante Gelasium, testibus Ambrosio et Innocentio Primo.¹⁾ Qua de causa eorumdem admissio debebat similiter habere locum feria quarta in capite Quadragesimae, ut statuitur in codice Gelasiano. Hinc minime probatur dies complementares Quadragesimae haberi posse tanquam interpolationem codicis Gelasiani.

Multum temporis et curae consumpsi ad hanc primam partis adversae objectionem diluendam, sed non me poenitet. Aliter agi non decebat ratione numeri et ponderis auctorum, qui eidem objectioni favebant forsitan inconscie.

Nunc vero prosequens seriem varietatum quae exstant inter codicem Vaticanum Sacramentarii Gelasiani, et alios ejusdem codices antiquos, tractabo de Festis Sanctorum.

§ 4. De Festis Sanctorum per annum inclusis in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani.

Secundus liber Sacramentarii Gelasiani festa Sanctorum habet pro primo et praecipuo objecto, seu exactius Natalitia recenset Sanctorum Martyrum, nam sic expresse concluditur: „Explicit liber secundus de Natalitiis Sanctorum Martyrum.“²⁾ Porro de facto, si excipiuntur duae solemnitates Sanctae Crucis et quatuor festa B. Mariae Virginis, omnia alia festa, quae reperiuntur in Codice Vaticano dicti Sacramentarii Gelasiani, Martyrum exclusive sunt festa, non Confessorum seu Virginum, dum in quolibet alio codice ejusdem Sacramentarii sicut et Gregoriani, semper, inveniuntur aliquot confessores et praesertim Martinus et Silvester.³⁾ Quomodo explicetur ista varietas seu differentia, si amanuensis San-Dionysianus eandem ac alii amanuenses octavi vel noni seculorum tenuisset agendi rationem, non video, sed prorsus evanescit difficultas si idem fidelius ac alii, id est de verbo ad verbum descripsit librum Sacramentorum a Gelasio Papa collectum siquidem Cultus Sanctorum confessorum, licet jam inchoatus seculo quinto exeunte, non tamen erat ita sancitus, ut jam haberet locum in libro Sacramentorum Romanae Ecclesiae.⁴⁾ Haec sufficiant quoad primam animadversionem de festis Sanctorum in Codice Vaticano, nunc ad secundam accedo.

¹⁾ Ambrosii epistola XX, 6, t. XVI, p. 996. — Innocentii epistola XXV, 7. — Patrologia latina t. XX, p. 559.

²⁾ Gelasian Sacramentary, editio citata p. 222.

³⁾ Ibidem p. 319 et 361.

⁴⁾ Equidem adest Missa S. Sylvestri in Sacramentario Leoniano. (Patrologia latina t. LV p. 13.) Sed nihil inde deduci potest, siquidem istud Sacramentarium nunquam inservivit in cultu publico, ut jam dixi.

Vox Confessor, quae liturgice assumpta non habebat primitus eundem sensum ac hodie, primum ejus asservat sensum in Sacramentarii Gelasiani Vaticano Codice dum aliter fit in aliis codicibus et in ipso Gregoriano Sacramentario. Nam in primis Ecclesiae seculis confessores vocabantur fideles, qui tormenta passi erant a persecutoribus sed non usque ad effusionem sanguinis et vitae extinctionem, martyres vero nuncupabatur ii soli, qui vitam pro Christo in tormentis perdididerant. Hodie autem et a diebus S. Gregorii, si non antea, confessores vocantur sancti, qui in pace Christo fideliter servierunt. Porro de facto in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani nuncupantur simpliciter Confessores Felix Nolanus, Marcellus Papa et Juvenalis Episcopus Narniensis¹⁾ qui in aliis codicibus vel in scriptis ipsius S. Gregorii Papae, seu Gregorii Turonensis Martyrum titulo decorantur.²⁾ Hinc eruitur de novo amanuensem San-Dionysianum fidelius ac alios amanuenses exscripsisse opus Gelasianum.

In tertio loco animadvertendum est multo pauciora esse numero festa Sanctorum in Codice Vaticano Gelasiani Sacramentarii ac in aliis codicibus: qui character signum est, ut patet, majoris antiquitatis.

Insuper aliquot adsunt nomina Sanctorum, quae postea et probabiliter ab ipso Gregorio, deleta sunt e Calendario Romano. Porro quatuor ex eis, scilicet nomina s. Julianae Cumensis in Campania (16. februarii), s. Magni (19. augusti), s. Rufi (27. ejusdem mensis) et s. Priscaae (1. septembris), martyrum Campanorum³⁾ non inscripta fuerunt, ut mihi videtur, nisi ab ipso Gelasio, in recordationem Afrorum Catholicorum, qui seculo quinto exeunte a Vandalis violenter expulsi et deportati in Italia meridionali, ibi maxima cum caritate excepti fuerunt.

E contrario desunt plura nomina Sanctorum, quae a S. Gregorio videntur addita, videlicet s. Adriani (8. septembris), S. Chrysogoni (24. novembris), S. Sabinae (29. augusti), S. Anastasiae (25. decembris) siquidem eorum basilicae indicantur ut stationales in codicibus Gregorianis. Aliunde eorum nomina reperiuntur in aliis codicibus Gelasianis, solo Vaticano excepto.⁴⁾

Addendum est, quod aliquot vicibus dies festi Sanctorum non idem est ac hodiernus in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani verbi gratia, S. Chrisantius colitur die vigesima nona novembris cum S. Sturnino,⁵⁾ dum hodie honoratur die vigesima quinta

¹⁾ Gelasian Sacramentary, editio citata p. 162, 163, 172.

²⁾ Gregorius Papa. Dialogor. IV, 12 et alibi. — Gregorius Turonensis. De Gloria Martyrum, 1, 104.

³⁾ Gelasian Sacramentary p. 168, 194, 195, 196.

⁴⁾ Ibidem p. 318, 355, 362.

⁵⁾ Gelasian Sacramentary p. 206.

octobris. Sancta vero Euphemia virgo et martyr Chalcedonensis celebratur die tertia decima aprilis,¹⁾ licet ejus martyrium contingerit die decima sexta septembris secundum traditionem orientalem,²⁾ et hodiernum usum. Dies aprilis tertia decima probabiliter electa fuit a Gelasio, quia erat dies dedicationis basilicae quam ipse aedificavit Tibure in honorem istius celeberrimae virginis,³⁾ cui specialiter devotus erat eo, quod Concilium Chalcedonense in quo Eutyches damnatus fuit, sub Euphemiae auspiciis et patrocinio celebratum fuerat. In aliis codicibus Gelasiani Sacramentarii eadem virgo vel celebratur XVI. calendas octobris, vel duo habet festa.⁴⁾

Item quatuor Coronati jam inscribuntur sexto idus novembris sub proprio nomine in solo Codice Vaticano⁵⁾ dum in aliis codicibus desunt nomina et quatuor Corinati celebrantur junctim cum quinque aliis martyribus, ut fit etiam hodie.⁶⁾

In ultimo loco animadvertendum est, quod inter festa Sanctorum, quae Vigiliam tenent, numerantur, nescio qua de causa, festa Sanctorum Gervasii et Protasii, Joannis et Pauli ac Sanctae Ceciliae,⁷⁾ sed res eodem modo fiunt in aliis codicibus ac in Vaticano, unde ex hoc puncto nihil concluditur sive in detrimentum, sive in favorem istius ultimi codicis; quae vero dixi superius de aliis festis Sanctorum, solide probant eundem codicem maxime diversum esse ab aliis et antiquiorem. Verumtamen plane fateor aliqua inscribi festa in hac parte Sacramentarii Gelasiani scilicet duo festa Crucis, et quatuor festa B. Mariae Virginis, quae nobis opponuntur tanquam instituta post Gelasium ac etiam post Gregorium. Quamobrem haec nova objectio excutienda est antequam ulterius procedatur.

§ 5. De festis Crucis et B. Mariae Virginis in Sacramentario Gelasiano.

Inscribuntur in Sacramentario Gelasiano duo festa Crucis (scilicet Inventionis et Exaltationis) cum quatuor festis B. Mariae Virginis, scilicet Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis ejusdem.⁸⁾ Porro si ista sex festa non existebant Romae, vivente Gelasio seu etiam Gregorio, ut asserit D. Duchesne cum aliquot aliis,⁹⁾ exinde sequeretur, Codicem etiam Vaticanum

¹⁾ Ibidem p. 170.

²⁾ Confer Martyrologium Syriacum anni 412. — Acta Sanctorum novembris t. 2, p. LXVI.

³⁾ Liber Pontificalis, editio Duchesne t. 1, p. 256, nota 11.

⁴⁾ Gelasian Sacramentary p. 359 et 366.

⁵⁾ Ibidem p. 203.

⁶⁾ Ibidem p. 360.

⁷⁾ Ibidem p. 176, 179 et 203.

⁸⁾ Gelasian Sacramentary, editio citata p. 172 et 198, item p. 165, 169, 193 et 196.

⁹⁾ Origines du culte chrétien, editio citata p. 259, 261, 264.

revera aliquot gravibus interpolationibus deturpatem esse. Sed res gratuito forsitan asseritur, nulloque authentico testimonio probatur. De qua re nunc inquirendum est.

Loquens primo de utroque festo Crucis, fateor utrumque deesse in Calendario Romano Polemii Silvi, quod est anni circiter 448 sed Gelasius eo posterior est, unde nihil ex eo deducitur contra meam sententiam. Haec vero duo festa reperiuntur in antiquioribus codicibus Martyrologii Hieronymiani,¹⁾ non excepto codice Epternacensi, ut falso assertum est²⁾ nam revera in eo adest festum Inventicnis Sanctae Crucis Nonis maii³⁾ non quinta Nonas ejusdem mensis. Insuper certum est festum Exaltationis Sanctae Crucis, licet minus antiquum in Occidente, nec inscripium in codice Epternacensi, jam tamen existisse Romae ante finem septimi seculi, siquidem Sergius Papa (687—701) ejus solemnitate adauxit, non primus instituit.⁴⁾ Eadem vero festivitas Exaltationis multo in Oriente antiquior est triumpho Heraclii imperatoris, siquidem instituta fuit in recordationem dedicationis Ecclesiarum Hierosolymitanarum Sanctae Crucis et Resurrectionis, quae celebrata est die 14. septembris anni 335, eadem die ac paucis annis antea, ut creditur, contigerat Inventio Sanctae Crucis.⁵⁾ Quocirca ista duo festa in unum coalescebant tunc temporis apud Orientales. In Occidente vero et praesertim Romae festivitas Inventionis Crucis celebratior Exaltatione habetur quasi instituta, ut fertur, in recordationem dedicationis Basilicae Sessorianae.

Rebus sic stantibus sat antiquum est Romae duplex Crucis festum; nec potest asseri ex quodam testimonio fide digno alterutrum non jam existisse in diebus Gelasii. Hinc objectio illata parum valet in quantum attinet ad festa Crucis.

Idem dici potest relate ad quatuor festa B. Mariae Virginis. Nam nihil prorsus certi scitur circa epocham eorum institutionis, sed compertum est tamen ea jam instituta fuisse ante finem septimi seculi, siquidem Sergius (687—701) eorum celebritatem adauxit, non primus creavit.⁶⁾ Equidem D. Duchesne contendit Ecclesiam Romanam mutuasae ea quatuor festa a Byzantinis currente seculo septimo.⁷⁾ Sed argumenta seu testimonia, quae afferuntur in favorem istius sententiae, nullius sunt valoris; silentium S. Gregorii Magni verbi gratia, utpote mere negativum, nihil omnino probat dum e contra diversitas collectarum

¹⁾ Martyrologium Hieronymianum, editio Rossi-Duchesne p. 56 et sequentibus.

²⁾ Origines du culte chretien p. 204, nota 2.

³⁾ Martyrologium Hieronymianum, editio citata p. 56.

⁴⁾ Liber Pontificalis, editio citata p. 374.

⁵⁾ Duchesne: Origines du Culte chrétien, p. 263.

⁶⁾ Liber Pontificalis, editio Duchesne t. 1, p. 374.

⁷⁾ Origines du culte chrétien p. 259 et 261, nota 5.

et aliarum formularum, quae nobis offeruntur pro istis quatuor festivitibus in Sacramentario Gelasiano et in Gregoriano, non potest provenire nisi ex eo, quod uterque Pontifex eas successive composuerunt. Nam ut jam dictum est, nihil fere mutatum est in Sacramentario romano a Gelasio ad Gregorium, sicut nihil mutatum est post Gregorium in formulis istius generis, nisi ratione institutionis festorum novorum. Hinc collectae secretae et post-communiones, de quibus hic agitur, eadem essent et non diversae, si earum textus, qualis exstat in Codice Vaticano Sacramentarii Gelasiani, non esset ipso Gregorio anterior.

Aliunde de istis quatuor festivitibus B. Mariae Virginis in particulari consideratis et earum antiquitate jam sat ample hic disserui ad ostendendum praecise earum institutionem non posteriorem esse Gelasio et ejus Sacramentario.¹⁾

Qua de causa nec necessarium nec opportunum mihi videtur eadem repetere. Hinc concludens istam meae tractationis sectionem, asserere possum ex una parte non valere argumentum, quod contra authenticitatem Codicis Gelasiani desumptum est, tum ex duobus festis Crucis tum ex quatuor B. Mariae Virginis, et ex altera multum e contra ponderis habere in favorem ejusdem authenticitatis paucitatem et qualitatem festorum Sanctorum, quibus fruitur secundus liber dicti Codicis.

Quocirca nunc ulterius progrediens inquiram, utrum quae proferuntur de Baptismi Confirmationis et Eucharistiae Sacramentis in Codice Gelasiano ita sapiant nexus originem Gregorianam vel etiam Gallicanam, ut nullo modo iste Codex tanquam authenticus haberi possit.

(Conclusio in fase. seq.)

Die Geschichte des Klosters Wiblingen nach Aufzeichnungen seines letzten Priors, des späteren Bischofs Gregorius Ziegler.

Ein Gedenkblatt aus dem Jubiläumsjahre 1899.

Von Anton Naegele, Vicar, Wiblingen-Ludwigsburg, Württemberg.

(Schluss zu Heft IV. 1900, S. 529—534.)

§ 15.

Der Baurenkrieg. — Georg von Waldburg.

Schon um das Jahr 1525 begann der famöse Baurenkrieg, der unseligste, der je die Welt plagte. Baltringen und Sulmatingen, Dörfer zwischen Laupheim und Biberach, erzeugten die

¹⁾ Studien und Mittheilungen O. S. B. t. XVIII (1897) p. 274—281 etc.